



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

22. Desponsatio B. V. Mariæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

194 XXII. Januarii Desponsat. B. V. Mariæ.

Festum Desponsationis B. V.  
Mariæ cum SS. Josepho.

EXHORTATIUNCULA I.

**N**uptiæ sunt ! cor vestrum petit Je-  
sus, Maria, & Josephus. Hoc ni-  
Sponso, ni Christo, Mariæ & Josepho  
dederimus totum, dedimus nihil. O  
ingratitudinem ! renuntiandum tan-  
dem est sæculo, & misero diabolo,  
intimè uniamur cum Deo. Nobis ad-  
hærere Deo, bonum est. Ubi fuimus  
dum sine eo ?

*Instructio meritoria.*

Dum nuptiæ sunt, offeruntur mune-  
ra. Talia & à nobis expectat Joseph  
cum Maria. Quid dabimus ? cum sex  
heroicis modestiæ angelicæ actibus quo-  
que *Litanias, de tota SS. Consanguinita-*  
*te J. M. J. persolvamus.* Amicus ho-  
norat alterum. Numeramus in cœlo  
plurimos : suspiciamus !

II.

**C**astos casta decent. Castus erat  
Jesu Nutritius, casta & dulcis pa-  
rens ; quia Virgines in ævum. O Fili!

no

nos sponsas profitemur Christi. Benè: in tales nos Ipse elegit dicens: *Venite electa mea! ponam in te thronum meum &c.* at caveamus, ne macula sit in corde. Subtilis, & delicatus est amor! etiam in minimo offenditur. Chare! illum ergo amemus, quem amare debitum est: illum exosculemur, quem osculari castitas est. S. Paulinus.

*Instructio meritoria.*

Ah! quoties Jesum! quoties Mariam! quoties & S. Josephum offendimus quinque sensibus nostris, quos plus pascimus, quam reprimimus. Deprecemur, & pro omnibus iniquitatibus quinque sensuum vel hodie fructuosè eluendis, oremus 15. Pater & Ave cum totidem osculis terræ. Clausis sensibus nobis loquitur Deus. Utique D. Paulus clamat: *Obser-  
cro vos fratres per misericordiam Dei, ut  
exhibeatis corpora vestra hostiam viven-  
tem, & Deo placentem.*

III.

**D**Esponsatio Mariæ gaudium annuntiavit universo mundo. Ex hoc enim ortus est nobis sol Justitiae, Christus

196 XXIII. Januarii. S. Ildephonsi.

Deus noster, qui solvit maledictionem,  
& dedit benedictionem. O igitur digna-  
re me, amare te Virgo Sacra. Pro-  
fectò fuit Dominus cum B. V. & ipsa  
cum Domino in eodem labore, & in eo-  
dem opere nostræ Redemptionis. Ma-  
ter misericordiæ Patrem misericordia-  
rum adjuvit in opere nostræ salutis.  
Rich. à S. Laur.

*Instructio meritoria.*

Quos Deus conjunxit, nunquid sepa-  
rabimus nos? absit ô Fili! cum *Officio*  
*Immaculatæ Conceptionis* oremus, &  
*Officium minus* de S. Josepho quod huic  
fecimus, fecimus & Filio Christo Do-  
mino. Et nunquid displicebit?

Festum S. Ildephonsi Archiepi-  
scopi Toletani.

**EXHORTATIUNCULA I.**

**D**elicium Mariæ fuit Ildephonsus.  
Unde? quia hujus Virginitatem  
contrà hæresim Mariæ inimicam fortiter  
propugnavit, & rotâ Hispaniâ ejecit. Ut  
quid otiosus est noster in Mariam amor?  
undique hostes, persecutores Mariæ ubi-  
que?

